



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

208. An notoriè excommunicatus in articulo mortis possit saltem absolvi à censuris si submutescens nullum signum contritionis ostendit? Et quid, si constaret evidenter ægrum privatum usu rationis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Resol. CCVII. &c. 119

et qui, de sent. excomm. in 6. quod vero dicit Sotus restringenda esse privilegia, verum id quidem est in materia odiosa, & quæ redundat in aliorum præjudicium; at verò favor in hac absolutione nihil tale habet, ac proinde, juxta regulam juris in 6. extendi potius, & ampliari deberet.

RESOL. CCVII.

An constitutus in articulo mortis absque alio prævio signo contritionis possit absolvi à censuris?

Et an ut simplex Sacerdos possit absolvere à sola censura in articulo mortis, necessarium sit, quod penitens præmittat aliquod signum contritionis? Ex p. 7. tract. 10. & Misc. 1. Ref. 10.

VT si verbi gratia amittit loquelam, vel incidit in insaniam. Navarrus in *Man. cap. 27. num. 272.* & Vgolinus de *Censuris Pontif. refer. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 2.* licet concedant quod in articulo mortis possit impendi absolutio à censura, etiam si absolutio à peccatis non possit impendi; quia illa prodest ad recipienda alia Sacramenta, ut extremam unctionem, & ad hoc ut forsitan infirmus in loco sacro possit sepeliri. Tamen limitant hanc sententiam, & asserunt ad hoc ut simplex Sacerdos possit absolvere à sola censura necessarium esse quod penitens præmittat aliquod signum contritionis.

2. Sed ego hanc limitationem prorsus refello, nam licet hoc sit necessarium pro absolutione à Censuris, quæ fit extra Sacramentum, & etiam confertur absenti. Et etiam docet Bossius in *Disceptat. Mor. disp. 2. num. 8.* cui adde novissimè Caspensem in *Cursu Theologico, tomo 2. tract. 1. §. disp. 2. sect. 13. num. 140.* qui citat Suarez de *Cens. disp. 7. sect. 7.*

RESOL. CCVIII.

An notorie excommunicatus in articulo mortis possit saltem absolvi à censuris, si submiserit nullum signum contritionis ostendit?

Et quid, si constaret evidenter egrum privatum usu rationis omnino impotentem, in talem statum incidisse?

Et an in supra dicto casu possit etiam laicus talem absolutionem moribundo concedere?

Et aliqua alia advertuntur, quæ contingere possunt in supradictis casibus. Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Refol. 13.

DE absolutione à peccatis alibi diximus: nunc videndum est de absolutione à censura. Navar. in *Manuali, cap. 27. n. 272.* & Vgol. de *censuris Papæ serv. part. 3. cap. 2. §. 2. n. 2.* dicunt in tali casu prærequiri in infirmo, quod prius dederit aliquod contritionis signum; nihilominus tenendum est, præstatam absolutionem à sola censura in illo articulo extremæ necessitatis posse dari infirmo, tametsi prius signa contritionis non exhibuerit: idque absque eo, quod Sacerdos absolvens peccet mortaliter, sed neque venialiter; imò potius mortaliter peccaret, non conferendo talem absolutionem, quæ negata non posset moribundo juvari aliis Sacramentis, neque in loco sacro sepeliri.

2. Hoc tamen limita, nisi constaret evidenter, egrum privatum usu rationis, omnino impotentem in talem statum incidisse. Et ita docet Bossius in *discept. 2. dub. 4. num. 38.*

3. Sed aliqui plus addunt, nempe, posse in tali casu, etiam laicum; talem absolutionem moribundo concedere. Hanc sententiam, tanquam probabilem, ego alibi docui, quam scio displicuisse cuidam nobili juriscōsulto, qui tamen scire debebat, illam desumptam

fuisse ex Glossa in *cap. A notis 2. verb. non potuit*, ubi etiam Abbas de *sent. excomm. & in cap. Pastorali, §. Præterea, de offic. Ord. verb. Præterquam in mortis articulo*. Idem postea docuerunt plures Theologi ex Schola D. Thomæ Tabiena, Armill. D. Antonini, uterque Ledesma, & ex Soc. Jesu Sanch. Avila, Henrici, & alij à me alibi adducti quibus nunc adde P. Bossium ubi *sup. dub. 10. num. 87.* Et ratio est: quia, cum Ecclesia, seu Summus Pontifex possit hanc facultatem concedere laico, ut Doctores communiter tenent: existimandum est, concessisse in tali articulo, si non adsit copia Sacerdotis, vel Clerici tonsurati. Nam, quamvis laicus, & Clericus non Sacerdos, non possit, sacramentaliter absolvere, neque ex commissione Papæ; tamen absolutio ab excommunicatione potest plurimum conferre ipsi penitenti ad salutem animæ, quam omnibus Ecclesia in extrema necessitate, suis fidelibus procurat. Quare, sicut tunc ob hanc causam concedit omnibus jurisdictionem absolvendi à peccatis, qui sunt capaces illius; similiter censendum est tribuere omnibus, qui sunt capaces, jurisdictionem absolvendi à censuris: laici autem, ut dictum est, sunt capaces hujus jurisdictionis: & hæc ratio multo magis convincit de Clericis etiam tantum tonsuratis.

4. Prædictæ autem absolutionis à Clerico non Sacerdote, vel à laico in articulo mortis data, effectus, secundum præcitatos DD. maximus est, scilicet, quod hæres absoluti non teneantur adire Papam, nec excommunicatorem pro absolutione petenda. Poterunt etiam sepelire defunctum in loco sacro, & pro eo facere Missas celebrare. Addit Henriquez saltem prodesse eam absolutionem, ut post mortem possit talis absolutus à quovis Sacerdote ab excommunicatione, vel alia censura absolvi, cum aliàs non posset: quod tamen non placet Sanchez loco cit. & jure merito: quia, si fuit valida absolutio, nulla amplius est necessaria: si non valuit, nullum jus absolvendi, Sacerdoti aliàs non habenti, seu valenti absolvere tribuit. Hæc omnia Bossius loco cit. qui adducit, non esse damnamum pium Parochum hanc sententiam sequentem in praxi, & juxta eam sepelientem defunctum, & Missam pro eo publice celebrantem, ubi de facili non potest adiri Iudex excommunicator, ut ab eo absolutio impetretur, anrequam defuncti corpus sepeliatur: quæ omnia à Bossio notata confirmant ea quæ à nobis alibi dicta sunt, quicquid aliqui obmurmuraverint, adversus quos omnia superius dicta adnotare volui. Nemo nego tamen, contrariam sententiam esse probabiliorē, quam novissimè tueretur Lessius in 3. p. D. Thoma cap. 7. de *excomm. dub. 3. num. 18.*

Alibi inf. in ref. 210. 211. 212. 213. & 214. §. Sed. & in com. 3. tr. 1. Ref. 43. §. penult.

Sup. hoc in ref. 1. not. præterea, §. Notandum, & §. ult. & in ref. 2. §. ad med. & in ref. 4. §. Sed. & in fine. ref. 5.

Alibi in resolutionibus præteritarum annotationum.

RESOL. CCIX.

Quid faciendum sit cum excommunicato, qui tempore mortis dedit signa contritionis, sed non fuit absolutus?

Et qui mortuus est excommunicatus, & si non constat mortuum esse in peccato mortali, an possit prelatum eum absolvere à censura, ut in Ecclesia sepeliatur, si non dedit signa contritionis, vel possit post ejus mortem sumi Bulla, si illam antea mortuus non habebat, & per eam eum absolvere ab excommunicatione? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 24.

AD hoc quæsitum ita responder Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 16. diff. 20. n. 20.* [Advierta se mas, que el que no puede ser absuelto en el articulo de la muerte de la descomunion, si pidio penitencia, y dio señales de contricion puede ser absuelto despues de la muerte, no de los pecados (que esso es cosa llana) sino de la descomunion para que lo entierren en lugar sagrado, y digan por el Missas, &c. y no